

Species nova ex genere *Peronospora* Corda

TOMASZ MAJEWSKI

Plantae familiae Scrophulariaceae saepe fungis ex genere *Peronospora* inficiuntur. Praecipue multae ex eis in speciebus de tribu Antirrhineae subfamiliae Scrophularioideae et in speciebus de tribus Veronicaceae et Rhinantheae subfamiliae Rhinanthroideae habitant. In speciebus huius ultimi tribus descriptae sunt species ex genere *Peronosporae* quae sequuntur: *Peronospora lapponica* Lagerh. in variis speciebus ex genere Euphrasiae L., *P. melampyri* (Buch.) Davis in foliis variarum specierum ex genere *Melampyri* L., *P. transchelianae* Bachtin in floribus *Melampyri pratensis* L., *P. pedicularis* Palm in *Pediculari lapponica* L. atque *P. toz-*




Fig. 1. *Peronospora pocutica* n. sp.: furcæ terminales et conidia

*ziae* Blumer in *Tozzia alpina* L. Omnes hæ species rarissime occurunt; inveniuntur tantum in Europa, excepta tamen *Peronospora melampyri* (Buch.) Davis quam etiam in America Septentrionali inveniri tradunt.

Supra nominatis speciebus accedit fungus qui *Rhinanthum serotinum* (Schönh.) Oborny (= *Rh. minor* Ehrh.) inficit. Collectus est a Wróblewski in humido prato in Oseredok ad Kniażdwór in Pocutia (Podolia Pocutica) in URSS anno 1913 (in herbario) aut anno 1914 (Wróblewski 1916: 86). Collecta exempla Wróblewski primum ut *Peronosporam lapponicam* Lagerh. determinavit et sub hoc nomine huius fungi locum publici iuris fecit. Postea tamen sententiam suam mutavit et singularem supra dicti fungi speciem agnovit, cuius rei argumentum est species quae in herbario Instituti Phytopathologici Scholae Superioris Agriculturae Varsoviensis, Varsoviae asservatur, ubi tamquam „Pero-

"nospora pocutica Wróbl. n. sp." determinata est. Pro dolor huius novae speciei diagnosim Wróblewski nec descriptsit nec publici iuris fecit.

Fungus, qui *Rhinanthum serotinum* inficit, similis est notis iam speciebus ex genere *Peronosporae* quae in speciebus tribus *Rhinantheae* habitant. Ceterum omnes istae species affines esse videntur. Differentiae tamen quaedam inter illam et reliquas species, necnon eius infectio in speciali genere plantae aentis adducunt nos ad designandam differentiam et ad describendam eam tamquam novam speciem.

*Peronospora pocutica* Majewski, n. sp.

syn. *Peronospora pocutica* Wróbl. in herb.

*Caespitulis violaceo-griseis, laxis, totum tergum foliorum et bracteatum subtegentibus.*

Conidiophoris 280—500 × 10—12 μ, basi ad 15 μ tumidis; trunco 3/5—2/3 totius altitudinis efficienti; ramis 5—7 (—8)-ies dichotome ramosis, rectis; furcis terminalibus rectis vel raro leviter curvatis, acutangulis, ad 15 μ longis, 2—2,5 μ latis.

Conidiis ellipsoideis vel ovatis, flavescentibus, basi acutiusculis, apice rotundatis vel acutiusculis, 25—37 × 18—24 μ (medio 29,6 × 20,5 μ).

Oogoniis et oosporis ignotis.

Habitat in foliis et bracteis *Rhinanthi serotini* (Schönh.) Oborny: Kniaźdwór — Oseredok prope Kołomyja in Carpatis Orientalibus (URSS), 13.6.1913, leg: A. Wróblewski. Typus in herbario Instituti Phytopathologici Scholae Superioris Agriculturae Varsoviensis, Varsoviae asservatur.

Haec species differt a *Peronospora lapponica* Lagerh. multo maioribus conidiis, angulisque acutis inter furces terminales; a *P. melampyri* (Buch.) Davis minoribus conidiis; a *P. tranzscheliana* Bachtin minus longioribus conidiis, magis ramosis conidiophoris atque quod in floribus et non in foliis habitat; a *P. pedicularis* Palm conidiis apicibus acutis et rectis furcis terminalibus; a *P. tozziae* Blumer conidiis longioribus atque angulis acutis inter furces terminales.

Morphologia stadii conidialis *Peronosporae melampyri* (Buch.) Davis simillima esse videtur noviter descriptae speciei.

Laboratorium Mycologicum  
Instituti Botanici Academiae Scientiarum Polonae,  
Varsavia

## Nowy gatunek z rodzaju *Peronospora* Corda

### Streszczenie

W niniejszej pracy opisano nowy gatunek grzyba z rzędu Peronosporales (Oomycetes) — *Peronospora pocutica* Majewski, n. sp., zebrany przez Wróblewskiego w Karpatach Pokuckich.

### LITERATURA

Wróblewski A., 1916, Drugi przyczynek do znajomości grzybów Pokucia i Karpat Pokuckich, Spraw. Kom. Fiz. 50:83—154.